Theologia.

Rochmanii Andreae: Assertiones ex universa F. Joannis Duns Scoti Theologia.

ASSERTIONES EX VNIVERSA

F. IOANNIS DVNS SCOTI DOCTORIS SVBTILISSIMI Theologia desumptæ, &

in conuentu Radomiensi Ord: Min: de Obseru: tempore sacri Capituli Prouincialis, ad disputandum propositæ.

A F. Andrea Rochmanio eiusdem instituti professo.

VILNÆ.

Apud Ioannem Karcanum, 1602.

2.

IN STEMMA REVERENDISSIMI D̄NI. D. EPISCOPI CRACOVIENSIS.



Biſtonys Mars gaudet equis: Saturnia pauis:
Lyncas agit Bromius. cuî ſacer eſt vitulus?
Hoſtia fit ſuperis vitulus, ſacer eſt quoq; Muſis,
Inde Vitelinum ſtemmate clara domus.
Stemmate ſis fælix, tantâq; coronide Præſul,
Te Pietas, Pallas te canit eſſe ſuum.

Illuſtriſmo et Reuerendiſmo in Chriſto Patri ac Domino, D. BERNARDO MACIEIOWSKY Dei & Apoſtolicæ ſedis Gratia, Epiſcopo Cracouienſi, Duci Seuerienſi, &c.

F. Andreas Rochmanius, Ord. S. Franciſci de Obſeru. omnem fælicitatem à Domino JESV CHRISTO *precatur.*

MAgnum miraculum eſt homo, Præſul amplißime, animal adorandum & honorandum, quod partem ſui quæ terrenum eſt deſpicit: cætera omnia quibus ſe neceſſarium eſſe cœleſti diſpoſitione cognoſcit, nexu ſecum charitatis aſtringit, ſicq; ſuſpicit cœlũ; vt præclarè Mercurius Triſmegiſtus pronunciauit. Quam penè Diuinam viuendi rationem, cum omnes honeſtatis ſectatores, tenere capiant & pro virili adnitantur; tum maximè eos toto paſſu iniuiſſe, vel tacito ipſius veritatis preconio agnoſcimus, qui generoſa quadam animi indole omnia mundani fauoris ornamenta, vel potius malorum irritamenta contemnentes, quicquid ocij poſt pietatis negotia conceditur, totum in ſuſpiciendo cœlo, cœleſtiumq; rerum contemplanda iucunditate; in cognoſcenda vniuerſorum natura; in ediſcendis rebus ad ſalutem neceſſarijs; in profundè inueſtigandis creationis ac redemptionis beneficijs; ac inprimis in ſui cognitione collocant & abſumunt. Inde illa orbis lumina, nempe Sanctißimi Patres ac Doctores prodierunt, qui doctrinæ ſuæ ſplendore Eccleſiam illuſtrarunt vniuerſam: inde veritatis propugnatores eximij promanarunt, qui veræ Philoſophiæ atq; Theologiæ duas acies ordinatas inſtruentes; & primò inter ſe quaſi opinionum ludicra, & diuerſarum ſententiarum nihil nocitura cer-

tamina permiscentes, vtraq; in vnam iuncta cohorte, perfidiæ atq; hæreseos duces, errorum munitos præsidijs vicerunt, & veritatis ac sapientiæ gladio conciderunt: ac ne modò quidem emergentia illius Hydræ capita, eorũ successores doctrinæ veræq; scientiæ ictu desinunt amputare. Hos Christianæ sapientiæ Principes, cum & per ætatem, & per aliquam literarum cognitionem intueri mihi in eorum monimentis liceret, verè quemlibet summum Philosophum, verè summum Theologum sum demiratus: sic in biuio constitutus, alteri putaui debitum honorem deferendum, alterius doctrinæ existimaui me committendum: ad quod non tam me institutæ vitæ ratio induxit, quàm summa eius in rebus occultis, & à sapientum multorum cognitione remotis, perscrutandi subtilitas, explicandi facilitas, & vbiq; in refellenda aliorum vel opinione, vel ratione, suaq; stabilienda sententia, quasi indubitata veritas: quæ me in primo Philosophiæ aditu ita permouit, vt publicis studiorum meorum occupationibus Philosophicis, & postea Theologicis semper hoc priuatum præponerem. In quo quantum profecerim, & quem fructum perceperim, ex libris Sententiarum & Quodlibetorum quæstionibus (quæ summa Theologiæ apud hunc Doctorem est) collectis præcipuis conclusionibus, & in medium propositis periculum facere constitui inter eos Patres, quorum pleriq; in celeberrimis orbis terræ Academijs summa cum laude in eiusdem Doctoris disciplina sunt versati. Quod si aliquis Archilochia edicta nostræ huic opponat orationi, non propterea Arabum me præstabo tibicinem, neq; fonti Dodoneo facem admouebo; sed pro religiosa modestia fælicem Corinthum pronunciabo, at me esse Teneatem non ægrè sum laturus; præsertim tuo Præsul amplissime fultus patrocinio: cui ego hos exiguos mearum vigiliarum labores offerens, demissa mente obsecro, vt eos benigno vultu aspicere digneris, meq; vnà cum omnibus paupertatis nostræ religiosæ Fratribus, inter minimos tuæ fidei & paternæ tutellæ comissos filios velis reputare. Non diffidentia animi hanc vocem exprimit Antistes dignissime & Dux Illustrissime (cum vbiq; tuæ beneuolentiæ & munificentiæ in nostris domicilijs extent multa monumenta, nulla vnquam temporum diuturnitate delenda) sed animi nostri grati significatio, id suo iure à te exposcit, vt quos tibi addictissimos in suis votis ad Deum ac desiderijs agnoscis, illos in album tuorum innouata voluntate referre digneris. Nos etenim animi nostri promptitudine tibi omnes præsentes, (licet corpore multi absentes simus,) id agimus & id contendimus vniuersi, vt munificentia heroica à te victi, beneuolentiâ superiores inueniamur: quæ in apertum quòd prodire non possit, tenuitati nostræ est adscribendum. Mihi verò in hoc sacro Ordine Minorum, minimo, quod hæc sese occasio pertenuis offerat gratulor & gaudeo, magisq; gaudebo, si has lucubrationes tibi Præsul amplissime non ingratas cognouero. Vale columna Ecclesiæ, pauperum præsidium.

Datum Vilnæ ex Monasterio S. Bernardini, Calendis Martij. 1602.

ASSERTIONES THEOLOGICÆ.
De Deo.

I.

THeologiæ, vt in se est, consideratæ, Obiectum est Deus Opt. Max. sub ratione quâ est hæc essentia, siue sub ratione Deitatis: idq; tam quoad veritates necessarias, quàm quoad contingentes in illud per prædicata sua reducibiles. Theologiæ autem vt in nobis est, idem est Obiectum necessariȩ & contingentis, conceptus videlicet Entis infiniti.

II.

Theologia supernaturaliter inspirata scientia, nulli scientiæ subalternatur, nec ipsa aliam sibi subalternat: estq; scientia in intellectu creato practica simpliciter; in intellectu autem diuino potest dici speculatiua. Similiter Theologia contingentium in se, non comparando ad hunc vel illum intellectum, est speculatiua.

III.

Deum esse, per se notum est, qui tantum ab intellectus nostri cognitione distat, vt imposibile sit solis naturæ nostræ viribus eum in particulari sub propria ratione cognosci posse, in quocunq; statu hominis. Potest nihilominus naturaliter intelligi, vel in aliquo conceptu quiditatiuo communi & vniuoco sibi atq; creaturæ, vel in aliquo conceptu proprio, at non in ratione propria essentiæ, vt hæc est.

IIII.

Primum Obiectum intellectus nostri primitate dignitatis & perfectionis, est Deus: at primitate adæquationis, est Ens, vt commune ad finitum & infinitum. Porrò Ens in ea latitudine sumptum, non prædicatur vniuocè de omnibus per se intelligibilibus, quia non de differentijs vltimis, nec de proprijs passionibus Entis.

V.

VNVM tantum esse Deum, & fides sacra docet, & ratio comprobat. Vnde in Entibus est aliquid actu existens, infinitum: primum simpliciter & incausabile: primum efficiens, idemq; finis vltimus: habens ex se necesse esse: intelligens & volens: cuiusq; intellectio & volitio non est aliud ab eius essentia.

VI.

Summa & omnimoda Simplicitas soli Deo conuenit (licet enim

aliqua creatura sit simplex, id est; non composita ex rebus; nulla tamen est perfectè simplex, quin aliquo modo sit composita vel componibilis) Cum hac nihilominus simplicitate stat, quòd aliquis sit conceptus communis sibi & creaturæ, non tamen communis vt Generis.

VII.

Immutabilis est Deus, tàm substantiali quàm accidentali mutatione, nec aliqua cadit in illum vicissitudinis obumbratio. Aliquid verò aliud à Deo esse vel posse esse immutabile simpliciter, omninò repugnat: sicut etiam impossibile est, quod aliquid præter Deum sit formaliter necessarium.

VIII.

Nominare haud possumus Deum proprio nomine, vt signo expressiuo proprij conceptus in particulari: at imperfectè potest à viatore nominari nomine aliquomodo proprio, si vtatur eo, vt signo vniuersali tantum, cum intentione tamen exprimendi aliquid particulare, vt significatur per illud nomen, quamuis illud in particulari non exprimat.

IX.

Omnipotens Deus noster est potens omnia verbo virtutis suæ producere, tàm mediante virtute causarum secundarum, quàm immediatè seipso. Primum, etiam Philosophis notum fuit, & ratione conuincitur; secundum vera fide creditum est, solisq; notum Theologis.

X.

Immensitatis diuinæ non possunt assignari termini, cum vbiq; sit secundum essentiam & potentiam. Nec vnum horum necessariò ex alio infertur; siquidem Deum esse præsentem vbiq; secundum potentiam, non infert necessariò ipsum esse vbiq; secundùm essentiam: actio etenim in distans primò esse potest, etiam à quibusdam causis secundis.

XI.

Iustus est Dominus in omnibus vijs suis, & Miserationes eius super omnia opera eius, ac proinde verè est in Deo Iustitia & Misericordia. Iustitia in eo vnica est, re & ratione, similiter Misericordia. Et cum Iustitia pro primo obiecto respiciat immediatè bonitatem diuinam: Misericordia respiciat aliquid in creatura, erunt hæc in Deo formaliter diuersa.

XII.

Deus vel aliquid formaliter dictum de Deo, non est in Genere. Imò & quæcunq; conueniunt Enti, vel vt indifferenti ad finitum & infinitum,

tum, vel vt infinito, non ponuntur illa in aliquo prædicamento per ſe aut reductiuè.

XIII.

Intellectus diuinus habet certam & infallibilem notitiam omnium, quantùm ad omnes conditiones exiſtentiæ, non tamen neceſſariò ſcit omnem exiſtentiæ conditionem cuiuſlibet rei. Et hæc contingentium ſeu factibilium cognitio in intellectu diuino non eſt practica. Porrò cum certitudine ſcientiæ diuinæ, poteſt ſtare aliqua contingentia in rebus.

XIIII.

Voluntas diuina ab æterno voluit alia à ſe, quælibet ſecundum exigentiam ſuæ naturæ, omnia tamen contingenter. Ex his quæ volita ſunt à Deo voluntate beneplaciti, ſemper ea impleri neceſſe eſt, non autem quæ ſunt volita voluntate antecedente.

XV.

Prædeſtinatio eſt actus voluntatis diuinæ, ordinantis creaturam rationalem ad gratiam & gloriam. Cuius nulla eſt ratio, aliquo modo prior, nec ex parte prædeſtinantis, nec ex parte prædeſtinati. Reprobationis verò poteſt aſsignari aliqua cauſa ex parte reprobi, videlicet peccatum finaliter præuiſum.

XVI.

Dei ad creaturam non eſt aliqua relatio realis, ac propterea relatio Domini, Creatoris, & ſimiles, quæ dicunt quaſi habitudinem ad creaturam ſunt relationes rationis. At creaturæ ad Deum eſt relatio realis. Præterea concedi debent in Deo relationes rationis æternæ ad obiecta cognita, non priores naturaliter ipſis cognitis in ratione obiectorum.

XVII.

Creatura inquantum eſt fundamentum relationis æternæ ad Deum vt cognoſcentem, non habet verum eſſe eſſentiæ ex hoc quod eſt ſub tali reſpectu. Quare creaturam habere eſſe diminutum, ſeu eſſe intelligibile ab æterno, & non habere eſſentiam realem ab æterno, vt verè dicta, approbamus.

XVIII.

Deus æqualiter diligit omnia creata comparando actum dilectionis ad agens: ſed comparando actum ad connotata, ad ea nimirum, ſuper quæ tranſit, eſt inæqualitas. Hic actus dilectionis eſt vnus; non alicui vni Perſonæ proprius, ſed communis tribus.

XIX.

Idæa

Idæa eſt ratio æterna in mente diuina, ſecundùm quam eſt aliquid formabile extrà, vt ſecundum propriam rationem eius: quæ ratio non præſupponitur productioni creaturæ in eſſe intelligibili, ſiue in eſſe obiectiuo, ſed conſequitur.

XX.

Inter attributa, ſeu perfectiones eſſentiales diuinas, multi ponunt diſtinctionem tantum rationis: nos Doctoris ſubtilis ſententiæ, quam putamus veriſsimam, ſubſcribimus, qui ibi diſtinctionem non realem, ſed formalem, aut ex natura rei, præcedentem omnem actum intellectus poſuit. Neq; ex hac poſitione ſequitur vlla in Deo compoſitio.

XXI.

Productio in diuinis non eſt impoſsibilis, imò de facto neceſſariò eſt; vbi ſtat ſimul vnitas eſſentiæ & pluralitas perſonarum: quarum vna improducta, duæ productæ, altera intellectu, altera voluntate. Impoſsibilis autem in Deo eſt pluralitas productionum eiuſdem rationis.

XXII.

Perſona prout dicit aliquid commune Patri, Filio, & Spiritui ſancto, non ſignificat præciſè ſecundam intentionem, ſed ex naturâ rei ſine omni operatione intellectus, conuenit tribus perſonis: ac per conſequens poteſt abſtrahi aliquis conceptus à Perſonis, non ſolum quaſi conſtitutis, ſed etiam vt formalibus conſtitutiuis earum.

XXIII.

Trinitas ſanctiſsima Perſonarum in vnica ſingulari diuina eſſentia conſiſtens, æqualitatem perfectiſsimam ſecundum magnitudinem immenſitatis & potentiæ, neceſſariò vendicat. Eſt namq; in Perſonis diuinis potentia æqualis, tam quoad extenſionem, quàm quoad intenſionem.

XXIIII.

Perſonæ diuinæ in eſſe perſonali non conſtituuntur ſeipſis, vel per aliquas proprietates abſolutas: ſed per relatiuas, ſiue relationes originis. Quælibet ad alteram habet realem relationem Identitatis, Similitudinis, & Æqualitatis.

XXV.

Perſona vt Perſona non dicit relationem propriam, vel communem, nec ſecundam ſubſtantiam ſeu quiditatem; ſed vel ſignificat negationem in genere, connotando aliquod poſitiuum, tam abſolutum quàm relatiuum, vel aliquid poſitiuum abſtractum à tribus, quod neq; ſignificet ſubſtantiam neq; relationem, ſed ſit indifferens ad vtrumq;.

26. Pro-

XXVI.

Proprietates ſunt idem cum perſona identitate reali non formali: eandemq; identitatem habent cum eſſentia: ſimiliter eſſentia cum perſona. Cum hoc tamen ſtat, quod relatio comparata ad eſſentiam eſt ratio tantum, comparata verò ad oppoſitum eſt res.

XXVII.

Nullum notionale eſt immediatius ipſi eſſentiæ diuinæ aliquo eſſentiali immediatione poſitiua: at omni eſſentiali includente reſpectum ad extrâ immediatius eſt eſſentiæ aliquod notionale immediatione negatiua. Vtroq; etiam modo immediationis aliquod eſſentiale eſt omni notionali immediatius.

XXVIII.

Relatio originis in quauis perſona propter identitatem realem cum eſſentia infinita, eſt realiter infinita, formaliter tamen non eſt infinita. Imò nulla proprietas notionalis eſt ſic infinita. Simpliciter tamen concedi poteſt eſſe infinita, ob identitatem realem cum infinito.

XXIX.

PRIMA Perſona conſtituitur in eſſe perſonali per relationem poſitiuam ad ſecundam, & è conuerſo: & impoſsibile eſt eſſe ſine ſe inuicem: verumtamen ipſa Perſona prima conſtituta in tali eſſe, eſt prior origine Perſona ſecunda, ita quòd prior Perſona conſtituta in tali eſſe, eſt, à quo originata eſt ſecunda. Ac ita prioritas originis non repugnat ſimultati relatiuorum.

XXX.

Inter primam & ſecundam Perſonam relatio originis eſt vnica, ita quòd nulla eſt diſtinctio talis relationis, qualitercunq; in re ante meram conſiderationem intellectus: Et ſic in Patre eſt omnino eadem relatio realis, generare, dicere, paternitas.

XXXI.

Hæc proprietas vnica in Patre eſt diſtinctè conſiderabilis, & ſic eſt potens habere diſtinctas rationes. Differentia verò rationum ſub quibus poteſt conſiderari iſta relatio, vel eſt quantum ad indifferentiam & abſtractionem in conſiderando, vel quantum ad poſsibilitatem & actualitatem, vel quantum ad completionem ſiue determinationem.

XXXII.

Prima perſona non poteſt manere ſeparata in eſſe reali relatione ori-

ginis ad ſecundam. At ſecundùm conſiderationem rationis, poteſt manere, ſine contradictione intellectus, prima perſona ſeparata illa relatione ſecundum modum conſiderandi poſteriorem. Quòd ſi concipiatur abſq; omnibus illis relationum rationibus, contradictionem includet talis conceptus.

XXXIII.

Pater non generat Filium voluntate, vt principio productiuo, proximo vel remoto: gignit tamen Pater Filium volens, hoc modo, quia Pater in primo ſigno originis intelligit formaliter, & tunc etiam poteſt habere actum volendi formaliter: in ſecundo ſigno originis generat Filium, nec tantum vult illam generationem volitione ſequente illam generationem, ſed etiam antecedente in primo ſigno habita.

XXXIIII.

Potentia generandi in Patre ſolo eſt. Capitur verò hic potentia, non prout diſtinguitur contra actum; ſed aut pro potentia Logica, vt dicit non repugnantium terminorum; aut pro potentia reali, prout ſignificat principium generandi, & dicit eſſentialiter relationem; proximum verò fundamentum iſtius relationis præcisè ſumptum, eſt quid abſolutum videlicet memoria fœcunda Patris, quæ includit intellectum & eſſentiam diuinam perfectè præſentem in ratione obiecti.

XXXV.

Ingenitum prout ſignificat negationem geniti communiſsimè ſumpti, nempe producti, connotando ſubſiſtens in natura diuina, conuenit ſoli Patri, ſimiliter Innaſcibilitas. Verùm quia non eſt probabile Perſonam primam conſtitui ſola negatione formaliter, ideò dicendum eſt has negationes conuenire primæ Perſonæ per aliquam affirmationem, quæ eſt proprietas poſitiua primæ Perſonæ.

XXXVI.

Pater eſt ſapiens, ſapientia ingenita. Quamobrem Pater nec principiatiuè (quomodo Filius ſapit ſapientia Patris) nec vt principio ſubauctoritatiuo (qua ratione conceditur quod Pater creat verbo) ſapiens eſt ſapientia genita.

XXXVII.

Pater dicit Verbum, vt dicere ſumitur perſonaliter: quâ ratione denotat illam relationem originis, quæ eſt gignentis ad genitum. Sed vt ſignificat relationem rationis illam, quæ eſt docere, ſic Verbum dicit omne declarabile formaliter.

FILIVS

XXXVIII.

FILIVS verè & propriè est de substantia Patris, Deus verus de Deo vero, Patri consubstantialis & coæternus: genitus de substantia Patris, non sicut de materia vel quasi materia, sed absolutè genitus de substantia Patris, vt Patris est. Essentia etenim diuina nec generat, nec generatur, estq; penitus in tribus suppositis indistincta.

XXXIX.

Cum in diuinis exprimi per intellectum sit proprietas secundæ personæ, & Verbum illud ipsum significet, erit merè personale, significans idem quod Filius; in eo tamen differt, quòd Filius connotat naturam viuentem, in qua est talis relatio; Verbum connotat actualem notitiam, cuius est talis expressio.

XL.

Verbum in diuinis denotat duplicem respectum. Primò relationem expressi ad exprimentem; & hic respectus est realis, ac ratione huius dicitur proprietas Filij: Deinde dicit respectum declaratiui ad declarata, qui est respectus notitiæ ad ea quæ per illam cognoscuntur, & hic respectus est rationis.

XLI.

SPIRITVS S. producitur per modum voluntatis, estq; voluntas hic principium necessariò producendi, quæ necessitas prouenit ex infinitate tàm voluntatis quàm obiecti. Et quamuis voluntas diuina agat de necessitate, non tamen per modũ naturæ quia necessitas stat cum perfecta libertate.

XLII.

Spiritus S. procedit à Patre & Filio, vt ab vno principio. Spirat autem Pater Spiritum S. non inquantũ diligit Filiũ primò, nec Filius inquantum primò diligit Patrem, sed Pater & Filius inquantum habent essentiam diuinam præsentem, vt obiectum primum voluntatis suæ, & non inquantum amatum actu, sed inquantum amabile præsentatum actu intelligentiæ eorum. Proportionaliter dici debet de generatione Filij à solo Patre.

XLIII.

Impossibile est Spiritum S. non procedere à Filio. Admisso tamen hoc antecedenti impossibili, quòd Spiritus S. non procederet à Filio, non sequeretur, illum non distingui à Filio, staret siquidem illius realis distinctio à Filio.

XLIIII.

Donũ non est proprietas constitutiua Spiritus S. sed significat primò

& per ſe reſpectum donabilitatis ad creaturas,& præterea connotat proprietatem tertiæ Perſonæ procedentis à Patre & Filio.

XLV.

Productiones in diuinis ſeipſis formaliter diſtinguuntur, & tota ratio formalis vnius, eſt non eadem toti rationi formali alterius: at principiatiuè ſeu originatiuè diſtinguuntur ſecundùm ſua principia, ſecundùm intellectum & voluntatem, quæ non tantum diſtinguuntur ratione, ſed etiam intellectus formaliter, non eſt voluntas ex natura rei.

XLVI.

Circumincesſio in diuinis non ſolùm eſt per eſſentiam, ex eo quòd eſſentia quæ eſt in Patre, ſit etiam in Filio, & ideo dicatur Pater eſſe in Filio, & Filius in Patre, ſimiliter & Spiritus S. ſed totius Perſonæ, ita vt tota perſona Patris ſit in tota Filij perſona &c. Ratio huius inexiſtentiæ non eſt ſola relatio, vel ſola eſſentia, ſed ambo ſimul.

XLVII.

De miſsione vnius Perſonæ ab alia, illud tenendum eſt, quòd ſi Mitti, cum hoc quòd dicit reſpectum ad extrâ, connotet productionem ad intra; tunc duæ erunt perſonæ mittentes Pater & Filius, duæ miſſæ Filius & Spiritus S. Quod ſi Mitti ſignificet manifeſtari perſonam, vt ab alia procedit; tunc mittere erit eſſentiale & commune tribus perſonis.

XLVIII.

Miſsio paſsiua viſibilis cum ſit vel fieri debeat, cum ſigno ſenſibili, quod quaſi ducat in cognitionem perſonæ procedentis, quæ dicitur mitti; rectè ob id Spiritus S. in Apoſtolos dicitur miſſus. Sic quoties perſona producta, ſigno conuenienti ſuæ proceſsioni eandem manifeſtat, mitti dicitur.

DE ANGELIS.

XLIX.

Prima cauſalitas reſpectu Angelorum & omnium creaturarum eſt neceſſario in tribus perſonis, tam quoad eſſe ſimpliciter, quod eſt exiſtentiæ, quám quoad eſſe ſecundùm quid, earum, ſiue eſſe intelligibile. Si tamen per impoſsibile poneretur vna Perſona abſoluta, poſſet eſſe in ea perfecta cauſalitas reſpectu omnium cauſabilium.

L.

Efficientiam omnis cauſæ naturalis poteſt ſupplere Deus virtute omnipoten-

omnipotentiæ ſuæ: Et ſuprà omnem modum naturæ & ordinem, poteſt rem de nihilo producere ſeu creare, vt de facto in principio conſtitutionis mundi Angelos, cœlum Empireum, terram, & aquam creauit, & nunc in animatione fœtus humani, animas rationales creare non deſinit.

LI.

Poſſe creare vel actu creare aliquid ita proprium eſt & intimum diuinæ potentiæ, vt nullum agens aliud à Deo, poſsit producere de nihilo ſimpliciter, vel omne ens, vel aliquod: non ſolum vt principale agens, ſed etiam vt inſtrumentale.

LII.

Omne ens, quod non eſt Deus, eſt à Deo mediatè vel immediatè; vnde Angeli non hñt ex ſe eſſe, ſed ſunt immediatè ab ipſo rerum omnium principe Deo creati. Sunt autem Angeli ſubſtantiæ ſpirituales, completæ, intellectu & voluntatæ præditæ.

LIII.

Hæc creatio paſsiua Angeli eſt eadem realiter ipſi Angelo, diſtincta tamen formaliter: quemadmodum etiam relatio ad Deum communis omni creaturæ eſt idem realiter fundamento, at non idem formaliter: nec per ſe idem identitate adæquata, ita quod fundamentum ſit tantum relatio formaliter.

LIIII.

In Angelo actualiter exiſtente, non eſt neceſſe ponere aliquid menſurans eius exiſtentiam, aut durationem exiſtentiæ eius, realiter aliud ab ipſa exiſtentia. Æuum autem quod dicitur menſura durationis Angelorum, concedi poteſt quod diſtinguatur ab exiſtentia Angeli formaliter prout exiſtentia eius accipitur ſecundùm alium reſpectũ ad cauſam primam vt ad conſeruantem.

LV.

Omnium æuiternorum poteſt dici vnum æuum, ſi vna exiſtentia ſupremi Angeli cæteris ſimplicior & apta nata certificare de alijs æuum vocetur. Quod ſi æuum dicatur actualis exiſtentia cuiuslibet Angeli æuiterni, (quod dictum melius & vero propinquius videtur) tunc ad multiplicationem æuiternorum, multiplicabitur æuum.

LVI.

Duratio exiſtentiæ Angeli æuum ponitur, quod non modo ſubſtantiã eius quodammodo menſurat, ſed & eius operationes, vt intelle-

ctiones aut volitiones. Omne itidem ens permanens, etiam illud quod successiuè aquiritur, dum in esse quieto permanet, potest æuo mensurari.

LVII.

Angelus, vt in essentia sua, secundùm quòd est substantia incorporea, sic & in operatione intellectus & voluntatis videtur quandam habere proportionem conuenientiæ cum anima rationali; simpliciter tamen inter hæc est differentia specifica & essentialis: ex qua prouenit, vt anima sit intrinsecè informatiua corporis; Angelus autem nulla virtute posit materiam informare.

LVIII.

Angelus est in loco non per operationem, aut applicationem virtutis actiuæ, nec per aliquod superadditum, quod à quibusdam vbi dicitur, sed per suam substantiam est in loco definitiuè, quod ita est in vno loco, vt non sit in alio: Et hanc præsentiam Angeli in loco vel spacio, necessariò consequitur modus quidam intrinsecus, qui dicitur, vbi, non tamen ille est ratio formalis essendi in loco.

LIX.

Angelus non potest esse in loco quantumuis magno, sicut forte nec in loco quantũuis paruo vel indiuisibili, sed in determinato ad vltrà, in determinatè tamen ad intrà, secundùm maius & minus; idq; vt probabile potest asseri, non vt demonstratum ratione naturali.

LX.

Angelum de facto non esse simul in duobus locis adæquatis, quasi pro certo hàbetur; posse tamen esse simul in duobus locis discontinuis, quorum neuter est Angelo adæquatus probabiliter asseritur: nec primum repugnat omnipotentiæ diuinæ, sed potentiæ naturali Angeli.

LXI.

Plura corpora pluresq; substantiæ materiales affectæ quantitate simul eundem locum occupare non possunt: quod de spiritu Angelico probari vel dici nequaquam debet.

LXII.

Nobilissima horum spirituum substantia, cum sit libertate voluntatis prædita, non tantum illius actus poterit exercere, sed etiam actu à voluntate imperato potest seipsum è loco in locum mouere; idq; motu non instantibus interrupto, vel instantaneè facto; sed continuo ac successiuo.

Angelus

LXIII.

Angelus mouetur motu locali non ab aliquo principio extrinſeco, ſed ab innata potentia, ſiue illa ſit ipſa voluntas, vt quidam tanquam veroſimile aſſerunt; ſiue diſtincta facultas ab intellectu & voluntate; quod non improbabiliter teneri poteſt.

LXIIII.

In inſtanti poſſe fieri motum localem ab Angelo, eſt impoſsibile. Porro Angelus poteſt moueri ab extremo in extremum, non per medium aliquod, ſi hoc ſit negatiuum, nihil videlicet medians inter vnum vbi & alterum; non verò ſi ſit poſitiuum, quando inter duo vbi diſtincta eſt medium alterius rationis ab extremis.

LXV.

Sicut ſubſtantia materialis ex naturâ ſuâ non eſt indiuidua, nec determinatur ad eſſe numericum per exiſtentiam, materiam, aut quantitatem, ſed per differentiam intrinſecam indiuidualem: ita ſubſtantia cuiusuis Angeli, non ex naturâ ſuâ, vel per aliquid extrinſecè ſuperadditum eſt ſingularis & indiuidua; ſed per differentiam intrinſecam indiuiduantem, quæ dici poteſt hæcceitas.

LXVI.

Plures Angelos poſsibile eſt eſſe in eadem ſpecie: imò cur id de facto in illis reperiri negemus, nulla ratio ſufficienter probabilis adferri poteſt: at pro ſententia affirmatiua tuenda non deſunt efficacia media & argumenta.

LXVII.

Angelus poteſt ſe cognoſcere per eſſentiam ſuam, ita quòd eſſentia ſua ſit ratio cognoſcendi, ſine aliquo repræſentante præcedente actum naturaliter: at ſuprà ſe, non poteſt ex puris naturalibus habere Dei cognitionem intuitiuam, licet poſsit habere abſtractiuam.

LXVIII.

Ad cognoſcendas quiditates alias à ſe, Angelus requirit neceſſariò diſtinctas & proprias rationes cognoſcendi eas. Et quidem ſpecies ad intuitiuam cognitionem ſingularium requiſitas, aquirit virtute intellectus agentis, & obiecti præſentis; ſpecies autem vniuerſales ad cognitionem abſtractiuam idoneas, habet congenitas.

LXIX.

Vnus Angelus alloquitur alterum cauſando in eo conceptum immediatè

mediatè

mediatè illius obiecti de quo loquitur: idq; potest vario modo euenire; vel vt in intellectu Angeli audientis gignatur à loquente actus tantum, ita quod non species; vel simul actus & species; vel tantum species: potestq; aliquo horum modorum formando conceptum in audiente, loqui vni & non alteri.

LXX.

Illuminatio in Angelo est quædam locutio de vero, perfectiua in esse secundo. Angelus itaq; superior, cui secundùm communem cursum reuelatur primò aliquod particulare, causat in inferiori conceptū quendam de illo reuelato, qui dicitur auditio; & hoc causare, quod est quoddam speciale loqui, est illuminare.

LXXI.

Omnes spiritus Angelici creati sunt in gratia, naturæ illorum quadam naturali conditione, debita, & vniformes; eandemq; moram præfixam habuerunt meriti vel demeriti, vt non prius vltimatè boni meruerint, quàm mali in eodem instanti demeruerunt. Et ex vtraq; parte tam meritum quàm demeritum præcesit præmium vel supplicium duratione.

LXXII.

Potuit in ipsis naturæ donis constitutis Angelis Deus conferre beatitudinem, non contulit tamen prius quàm meruerint: illamq; contulit non in primo instanti, sed in tertia mora distinctionis finalis bonorum ab impijs. Quilibet illorum in primo instanti creationis suæ potuit esse beatus vel miser.

LXXIII.

Actus primus inordinatus voluntatis fuit primum velle amicitiæ in Angelo, respectu eius cui voluit bonum, nimirum respectu suiipsius. Velle autem inordinatum concupiscentiæ fuit immoderata concupiscentia beatitudinis, vel secundùm intensionem, vel secundùm accelerationem, vel aliter eam volendo quàm sibi conueniat.

LXXIIII.

Potuit primus Angelus, vel aliquis ex numero damnatorum spirituum appetere æqualitatē Dei, licet eam iudicio verò existimauerit esse impossibilem. Verumtamen hic actus non potuit esse volitionis efficacis, sed duntaxat actus (vt dicitur) complacentiæ.

LXXV.

Actum

Actum malum malitia morali Angeli mali non necessariò habent, idq; verum est tam de actu determinato quam vago: Nec apparet impossibilitas simpliciter quin possint habere actum completè bonum moraliter; secundùm potentiam tamen naturalem non exeunt in talem actum propter vehementem malitiam.

LXXVI.

Angelus damnatus, obstinatus est in malo duplici ex causa, primò quasi ex parte sua, quia eorum voluntas continuè malè vult: deinde quasi ex parte Dei, non quidem positiuè volentis hanc obstinationem, sed negatiuè; Deo nempe deserente & nolente dare gratiam.

LXXVII.

Actum bonum bonitate ex genere, prout transit actus super obiectum conueniens vel disconueniens, potest elicere malus Angelus: At meritorium actum elicere nullatenus potest, secundùm communem diuinæ ordinationis cursum.

LXXVIII.

Angelus potest assumere corpus, non informando illud, nec hypostaticè sibi vniendo, sed tantum vt intrinsecus corporis motor, quoad motum localem, inspirationis, respirationis, manuum, palpebrarum, & similem: operationes tamen sensitiuas seu vitales in eo efficere non potest.

LXXIX.

Omnes boni Angeli sunt administratorij spiritus secundùm testimonium Apostoli, quod verissimum est, si de missione interna & externa intelligatur. Interna missione reuelantur mysteria Dei inferioribus Angelis per superiores. Externa autem, inferiores Angeli nunciant hominibus. Aliquando tamen de supremis mittuntur ad extrà.

LXXX.

Quilibet hominum in singularem tutellam custodi Angelo est commendatus; à quo præter beneficia defensionis & patrocinij in multis rebus, potest etiam ediscere aliquam reuelationem; non quòd intellectionem actualem, aut speciem intelligibilem possit Angelus causare in intellectu nostro, vt totalis causa: sed vel vtendo signis ad placitum assumptis, & hoc in corpore assumpto, vel vtendo signis naturalibus, &c.

LXXXI.

Inter omnia materialia à Deo condita, homo est non modo animalium, verumetiam creaturarum omnium post Angelos nobilissimus, anima intelligente præditus, quæ in eo opera vitæ vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationalis, (in se simplex & vna) exequitur: cuius principium effectiuum est Deus, qui etiam eiusdem est & finis vltimus.

LXXXII.

Homo Physicè compositus est ex forma & materia, quæ in eo (sicut & in alijs compositis materialibus) non est pura potentia obiectiua, sed actus entitatiuus, per se vnum principium naturæ, per se causa, fundamentum formarum, subiectum mutationum substantialium, & quæ sine contradictione posset esse, absq; omni forma substantiali & accidentali.

LXXXIII.

Ponere inter animas rationales differentias quasdam specificas, vel aliquas perfectiones essentiales appropriatas vni & non alteri, videtur omnino superfluum. De materia autem illud verum dogma videtur, quòd ea sit eiusdem rationis in omnibus sublunaribus: imò etiam in ipsis cœlorum orbibus non alterius est speciei materia, ab hac rerum sublunarium.

LXXXIIII.

In corpore humano vt in quouis alio mixto perfecto, manent elementa virtualiter, quatenus mixtum habet formam substantialem, continentem in virtute formas Elementorum: non tamen secundùm substantiam, sed propter conuenientiam & continentiam virtualem elementa dicuntur manere in mixto.

LXXXXV.

Præter formam totalem hominis, aliæ sunt in eo formæ partiales, substantiales, quæ sunt veluti quædam dispositiones tum ad introductionem formæ totalis, tum ad conseruationem: insuper separata anima rationali à corpore, illæ manent aliquamdiu. Harum vnio collectiuè sumpta constituit formam corporeitatis.

LXXXVI.

Potentiæ animæ rationalis non distinguuntur realiter inter se nec ab ani-

ab anima, ſed continentur vnitiuè in anima. Porrò continentia vnitiua in eſſentialibus, non eſt eorum quæ ſunt omninò idem, vel quæ ſunt diſtincta realiter, ſed quæ ſunt vnum identitate reali, diſtincta autem diſtinctione formali.

LXXXVII.

Imago ſanctiſsimæ Trinitatis poteſt dici conſiſtere in anima noſtra, non in ipſis præcisè potentijs, nec in ipſis duntaxat potentiarum actibus: ſed in vtriſque ſimul ſumptis: Vt identitas realis potentiarum cum anima, denotet identitatem perſonæ cum eſſentia diuina, & diſtinctio realis perſonarum ſignificetur diſtinctione reali actuum.

LXXXVIII.

Nec intellectus ipſe, nec obiectum per ſe ſolum eſt cauſa totalis intellectionis actualis, ſed iſta duo, ſunt vna cauſa integra reſpectu notitiæ genitæ. Pars tamen intellectiua habet principaliorem cauſalitatem reſpectu cognitionum modo nobis naturali conuenientium.

LXXXIX.

Aliquod obiectum excedens multùm facultatem partis intellectiuæ, puta obiectum beatificum clarè viſum, poteſt poni habere totam cauſalitatem reſpectu viſionis, aut magis principalem quam pars intellectiua.

XC.

Verbum in nobis, eſt actus intelligentiæ productus à memoria perfecta, non habens eſſe ſine actuali intellectione, repræſentans aliquomodo Verbum diuinum. Omnis itaque intellectio actualis in Creaturis eſt verbum, quæ ſi ſit cognitio imperfecta, dicitur verbum imperfectum: ſi perfecta perfectum.

XCI.

Voluntas humana eſt cauſa effectiua actus volendi, ita vt nihil aliud à voluntate ſit cauſa totalis volitionis, ne ipſa quidẽ voluntas diuina. Vnde intellectus humanus, vel potentia imaginatiua ad actum volendi, concurrunt ſpecificatiuè, non elicitiuè.

XCII.

Liberum arbitrium diuinâ gratiâ deſtitutum, non poteſt ex ſe cauere omne peccatum mortale pro ſtatu iſto. At conſtitutum vel in ipſis naturæ integræ dotibus, vel gratiæ diuinæ auxilio munitum, poteſt euitare omne peccatum mortale.

XCIII.

Voluntas nostra ita est ab intrinseco libera, vt nulla vel naturalis affectionis propensione, vel metus timorisue alicuius conturbatione, aut vlla pasione, Influentarumue (quas aliquid in corpus eiusq; moderationem influere non nego) inclinatione, flecti & necessariò cogi vel adigi concedamus.

XCIIII.

Ac vt considerata breuiter natura hominis in abstracto ad primi hominis conditionem & statum sermone veniamus, illud de eo inprimis traditur, illum in agro Damasceno à Deo secundùm corpus conditum, ac de limo terræ formatum fuisse, postq; animatum in Paradiso constitutum.

XCV.

Ex costa viri sopore graui sopiti, formauit Deus Euam futuram Adæ sociam. Costa illa non fuit additum indebitum naturæ humanæ in Adam, nec postmodum sumpta è latere Adæ monstrosum illum reddidit: Sed ex singulari Dei ordinatione præter ordinem communem naturæ & dispositionis corporis humani, illi fuit indita, ad eum finem qui postea secutus est.

XCVI.

Primus homo si in statu innocentiæ constitutus perseuerasset, nunquam infirmitati & morti subiectus fuisset. Et licet quilibet in illo statu potentiam moriendi habuisset, illa tamen potentia ad actum non fuisset vnquam redacta. Vnde potuisset tum mori, sed non fuisset mortuus.

XCVII.

Causæ omnes intrinsecæ corruptionis impeditæ fuissent (modo illi statui debito) aut præuentæ, ne morte corpora innocentium absumerentur: Omnis itidem violentia extrinseca illis non nocuisset, idq; ob singularem Dei dispositionem, & illius status constitutionem.

XCVIII.

Filij procreati in statu innocentiæ fuissent in gratia & iustitia confirmati; & verosimile est quód post deuictam primam tentationem: quæ confirmatio non ab eis posibilitatem peccandi abstulisset, sed ne actu peccarent, effecisset; sicut de viatoribus sanctificatis in vtero tenetur.

Illi

Illi soli in eo statu geniti fuissent qui nunc sunt electi. Nati autem fuissent infantum modo, & proficerent ætate, robore, & sapientia, Neq; hic natiuitatis modus eorum infantiam alicui periculo ægritudinis, læsionis, vel alicuius incommodi graui damno exposuisset,

C.

Peccatum veniale cum illo statu gratiæ & iustitiæ consistere potuit, at mortale nullo modo: Ob quod primus homo illam fælicitatem perdidit: cuius peccatum etsi non fuerit grauissimum, tantum erat nihilominus, cui iustissima pœna debebatur, exclusio à gratiâ, & separatio ab illo statu quietis & fælicis tranquillitatis.

CI.

Iustitia originalis in Adamo fuit donum supernaturale, præstans tranquillitatem in anima quantùm ad omnes potentias, ita quòd natura inferior non inclinaretur contra iudicium superioris; aut si inclinaretur quantum est ex se, posset à superiori ordinari & regulari sine difficultate superioris, & sine tristitia inferioris.

CII.

Peccatum originale (quod est carentia iustitiæ originalis) quilibet secundùm legem communem propagatus ab Adam contrahit, à qua lege excipitur Christus D. & mater illius benedicta. Peccatum hoc per Baptismum deletur, non per iustitiæ originalis restitutionem, sed per gratiæ collationem. Et quamuis remaneat carentia illius positiua, non tamen est culpa, quia illud positiuum non est debitum, cum soluatur & commutetur in debitum habendi aliud donum.

CIII.

Voluntas est causa deficiens, non efficiens peccati, secundùm eam priuationem rectitudinis quæ deberet inesse actui. Quod si secundùm positiuum actum, peccatum consideretur, voluntas est causa peccati per accidens. Peccatum igitur eo modo quo potest habere causam, est à bono non summo & infinito (impossibile enim est hoc posse peccare) sed defectibili & creato.

CIIII.

Voluntati nostræ non inesse eam ad bonum inclinationem; vt non possit omnino peccare & à bono deficere, certum est & indubitatum. Vtrum verò per absolutam Dei potentiam possit creari voluntas impeccabi-

peccabilis per naturam, posset alicui venire in dubium: nos negatiuam sententiam vt communem defendimus, magis propter autoritatem, quàm ob aliquam conuincentem rationem.

C V.

Peccatum potest esse in cogitatione, si voluntas actu complacentiæ, aut etiam actu concupiscentiæ, concupiscat sibi vel alijs potentijs obiectum inordinatum. Malitia verò in sermone vel opere consistit materialiter tantùm, formaliter est in voluntate.

C V I.

Distinctio septimembris peccatorum capitalium est sufficiens, si fiat secundùm condescensum voluntatis ad potentias inferiores sensitiuas: secundùm verò formalem rationem peccatorum, ista distinctio non est sufficiens. Peccatum in Spiritum S. dicitur non propriè sed appropriatè, quale est peccatum ex certa malitia, peccatum finalis impœnitentiæ, &c.

C V I I.

Potest voluntas creata peccare ex malitia volendo aliquid non ostensum sibi sub ratione boni simpliciter, vel secundùm quid: quod verum est loquendo de absoluta voluntatis potentia. Dicendum insuper est de peccatis illud, quòd vnum peccatum possit esse pœna alterius: & omne peccatum est culpa formaliter, & pœna formaliter.

DE VERBO INCARNATO.

C V I I I.

Verbum æternum caro factum est in tempore, quo misit Deus Filium suum in mundum factum ex muliere, eademq; semper immaculata, etiam post partum permanente virgine: quæ proinde verè Dei genitrix virgo, dici potest ac debet.

C I X.

Nulla est repugnantia vnionis naturæ humanæ ad Verbum diuinum, vel ex parte personæ assumentis, vel ex parte naturæ assumptæ. Et hæc vnio naturæ humanæ cum Verbo non dicit per se aliquid absolutum, sed relationem disquiparantiæ in vno extremo, cui in altero extremo nulla relatio realis correspondet.

C X.

Dubitare

Dubitare posset aliquis, an huius relationis, vnionis videlicet & dependentiæ naturæ creatæ ad Verbum, sit aliquod fundamentum absolutum, quo posito non posit non sequi hæc relatio: nobis pars negatiua, magis videtur ad probabilitatem accedere.

CXI.

Non videtur, quòd vna natura posit simul assumi à tribus personis, si terminus primus istius vnionis esset persona: Si verò intelligatur quòd primus terminus vnionis esset ipsa natura in tribus personis existens per se, sic possibile est vnam naturam assumi à tribus personis mediante vna essentia, existente in tribus personis.

CXII.

Ab vna Persona diuina assumi posse vel potuisse plures naturas, non repugnat tàm ex parte personæ assumentis, quâm ex parte naturarum assumptibilium. A persona etiam creata, per diuinam potentiam, posse sustentificari hypostaticè aliam naturam formaliter, nulla est impossibilitas. At omninò impossibile est posse effectiuè.

CXIII.

Vnio humanitatis cum Verbo, propter realem identitatem Personæ Verbi cum essentia diuina, terminatur realiter ad personam & ad essentiam verbi. Verùm ratio formalis terminandi istam vnionem non est essentia, sed proprietas personalis verbi.

CXIIII.

Natura vnita Verbo diuino, de facto fruitur eo, & ab instanti vnionis fruebatur. Si autem loquamur de possibili, non includit contradictionem, naturam natam frui, vniri verbo hypostaticè, & non frui eo.

CXV.

Verbum assumpsit naturam singularem, sed personam naturæ creatæ non assumpsit, imò naturam personatam assumere non potuit. Hinc sequitur quod in Verbo incarnato sit vnio hypostatica duarum naturarum, in vna persona increata.

CXVI.

In Christo D. non modo est aliud esse verbi ab esse creato secundùm essentiam, sed & secundùm existentiam. Nec propterea Christus est aliqua duo masculinè vel neutraliter, licet habeat in se duo neutraliter.

Vt duas

CXVII.

Vt duas naturas in Chriſto hypoſtaticè vnitas confitemur; ita duarum naturarum diſtinctas in eo potentias verè agnoſcimus: ac proinde & intellectus illius animæ, alius eſt ab intellectu diuino; & voluntas creata in Chriſto alia eſt ab increata.

CXVIII.

In aſſumptione humanæ naturæ ad Verbum, medium Quo, poteſt dici anima, reſpectu totius. Et hoc totum quod primò aſſumptum eſt à Verbo, eſt ens aliud ab omnibus partibus coniunctim vel diuiſim ſumptis.

CXIX.

Animæ inductio in naturam humanam à Verbo aſſumptam, non præceſsit incarnationem tempore: nec tranſmutatio diſponens ad formam intellectiuam, hoc eſt, motus localis, & alteratio, anteceſsit duratione: ſed omnes mutationes formarum ſubſtantialium partialium, omniſq; diſpoſitio illa corporis organici, in eodem inſtanti erant.

CXX.

Verbum non aſſumpſit animam & corpus per modum habitus, ſed ſicut ex anima & corpore vnus eſt homo, ita Verbum & natura humana in Chriſto vnus eſt Chriſtus. Non tamen ſicut ibi eſt compoſitio ex partibus, ita hic in Chriſto Domino.

CXXI.

Hæc propoſitio, Deus eſt homo, non poteſt oſtendi nec cognoſci naturaliter eſſe vera, ſed veritas illius eſt fide credita, aut ex credito oſtendenda: Eſtq; prædicatio in hac enunciatione formalis, non per identitatem, vel informationem, ſed per vnionem, incognita olim Philoſophis.

CXXII.

Chriſtus ſecundùm naturam humanam prædeſtinatus eſt, eſſe Filius Dei; quæ prædeſtinatio non neceſſariò requirit lapſum naturæ humanæ: quapropter etiamſi Adam non peccaſſet, Chriſtus in mundum veniſſet in carne, non tamen patibili forte & corruptibili.

CXXIII.

Alia eſt filiatio in Chriſto ad Patrem, alia ad Matrem, vtraq; realis. Secundùm naturam diuinam fuit dominus & hæres: ſecundùm humanam dicitur à quibuſdam eſſe filius adoptiuus, quòd fuerit extraneus

traneus

traneus in primo instanti ab hæreditate, nobis hæc opinio videtur falsa cum sua probatione.

CXXIIII.

In instanti incarnationis Christus omni plenitudine gratiæ, cunctisque charismatum donis sibi debitis à Spiritu S. ornatus fuit. vbi gratia non fuit medium congruitatis, vel dispositio necessariò requisita ad hanc vnionem, sed potius eam concomitans.

CXXV.

A principio etiam huius vnionis Christus fuit beatus: quæ beatitudo abstulit sibi possibilitatem peccandi: quamuis cum hoc dispensatiuè steterit potestas merendi; etiam in primo instanti conceptionis; & hoc inquantum fuit viator non comprehensor.

CXXVI.

Visio Verbi perfectissima possibilis conferri creaturæ, collata fuit animæ Christi, quâ visione omnia videt in Verbo quæ Verbum videt: quod præstat vel vna visione respectu Verbi, vt primi obiecti, & respectu omnium obiectorum relucentium in Verbo, vt secundariorum obiectorum; vel ponendo respectu cuiuscunque, propriam visionem.

CXXVII.

Ad istum vnum actum continentem omnia obiecta alia, vel ad infinitos actus, potest concedi, intellectum concurrere vt elicientem & efficientem actum. Nec illud (ad euitandam infinitatem quam prior concedit opinio) incõgruè dicitur, intellectum animæ Christi videre omnia habitualiter non actualiter in Verbo.

CXXVIII.

Cognitione abstractiua ab instanti conceptionis suæ nouit Christus omnes creaturas in genere proprio: cognitione verò intuitiua non omnia nouit in genere proprio, licet omnia viderit in Verbo.

CXXIX.

Ex circumstantia suppositi, meritum Christi habuit quandam rationem extrinsecam, quare Deus potuit acceptare illud infinitum, nempe extensiuè pro infinitis: At quantùm est de formali ratione rei acceptabilis in se, non fuit acceptabile pro infinitis, sicut nec in se fuit formaliter infinitum.

CXXX.

In Christo fuit verus dolor in parte sensitiua. Est cum sensatio fiat

 secundùm

secundùm proportionem bonæ dispositionis corporis, necesse est quòd in Christo dispositio existentiæ tactus fuerit perfectissima, & consequẽter dolor intensissimus. Præterea, animæ illius secundùm portionem superiorem beatæ; poterat inesse, & aliquando infuit tristia, secundùm portionem inferiorem.

CXXXI.

Portio superior in anima creata intendit regulis æternis contemplandis: inferior autem temporalibus agendis secundùm regulas æternas. Itaq; portio superior non distinguitur à portione inferiori in ratione potentiæ, sed distinguitur ratione obiecti.

CXXXII.

Hominem esse redemptum, & pro eius peccato satisfactum à Christo, indubitatum est; omnia tamen huiusmodi quæ facta sunt circa redemptionem nostram, non fuerunt simpliciter necessaria, nisi præsupposita ordinatione diuina. Vnde necessarium fuit necessitate consequentiæ Christum pati, simpliciter autem fuit contingens.

CXXXIII.

Si Verbum assumpsisset naturam simpliciter gloriosam, illa non habuisset causam corruptionis: simili ratione si naturam innocentem assumpsisset cum iustitia originali. In natura verò de facto ad verbum assumpta, cum gloria non redundaret in corpus per miraculum, mansit necessitas dissolutionis illius animæ à corpore.

CXXXIIII.

Christus passus est pro salute nostra, cui violentæ passioni, tametsi virtus omnipotentiæ diuinæ posset contraire, ne vllas pœnarum acerbitates sentiret, nedum mors sequeretur: de ordinaria tamen vi loquendo, supposito quòd gloria non redundaret in corpus, non fuit in potestate animæ Christi illud á passione præseruare.

CXXXV.

Corpus Christi in morte fuisset putrefactum, quantum est ex parte causarum inferiorum naturalium, siue illæ sint intrinsecæ, siue extrinsecæ. Hanc causalitatem earum, quia Deus vt de facto prohibuit in triduo mortis, ita semper prohibuisset, etiamsi corpus illud non fuisset viuificatum vsq; ad generalem resurrectionem, ideò simpliciter dici debet, quòd illud corpus nunquam fuisset putrefactum.

CXXXVI.

In triduo mortis, partes naturæ humanæ vnitæ fuerunt Verbo, non natura humana: Ideò tum Christus non fuit homo Physicè: imo Logicè etiam loquendo, tum temporis hæc propositio. Christus est homo, fuit falsa.

CXXXVII.

Christo D. considerato secundùm solam humanitatem, debetur cultus latriæ, si ea consideratio fiat per determinationem exclusionis à termino adorandi: quod si rationem summi adorabilis, vel rationem adorandi in humanitate Christi denotet hæc exclusio, negari debet prædicta enunciatio: sola siquidem diuinitas est ratio summi adorabilis.

DE SACRAMENTIS.

CXXXVIII.

Sacramentum est signum sensibile, gratiam Dei ex institutione diuina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris. Ex hac definitione constat, quòd, si ad illam à Magistro traditam (Sacramentum est inuisibilis gratiæ signum visibile) cætera requisita addantur, & definitio suppleatur, erit perfectè tradita ratio Sacramenti.

CXXXIX.

Sacramentum aliquod fuisse instituendum necessariò non potest probari, nec à priori, nec à posteriori. Institui porrò Sacramentum non nisi à solo Deo potest; quod congruè debuit esse aliud & aliud, in alia & alia lege. Vnde pro quocunque statu, maximè post lapsum congrua fuit institutio Sacramenti, non pro statu innocentiæ, vel futuro patriæ.

CXL.

Sacramentum non habet causalitatem actiuam respectu gratiæ conferendæ. Quare cum dicitur Sacramentum causa gratiæ, & ex opere operato illam conferre, hoc ita fieri intelligendum est, quomodo omnis dispositio necessitans ad formam, quæ non est ratio receptiui, potest dici quodammodo causa actiua, siue causa instrumentalis respectu formæ; similiter in proposito, Sacramenti susceptio, est talis dispositio.

CXLI.

Lex Euangelica perfectissimis est adornata Sacramentis, quę omnia immediatè sunt instituta à Deo, á quo suam habent efficaciam, vt à causa prin-

sâ principali effectiuâ: à Christo verò Domino, siue à passione eius habent efficaciam tanquam à causâ meritoriâ.

CXLII.

CIRCVMcisio fuit verum legis antiquæ Sacramentum, ad delendum peccatum originale institutum, Et quamuis de potentia absolutâ possit Deus delere culpam originalem sine infusione gratiæ; tamen secundùm ordinatæ potentiæ modum, culpa originalis, vel aliquod aliud mortale peccatum non dimittitur sine infusione gratiæ, vnde sic & in Circumcisione originale peccatum delebatur.

CXLIII.

BAPTISMVS est Sacramentum ablutionis animæ à peccato, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis. Ad hanc definitionem reuocanda est Magistri definitio cæteris requisitis subintellectis, secundùm explicationem Doctoris subtilis.

CXLIIII.

Propriè loquendo de forma vt est altera pars compositi, forma Sacramenti huius est ipsa relatio signi, quâ formaliter est tale Sacramentum: materia, est totum fundamentum istius relationis. Et quia in fundamento sunt plura, potest vnum actualius & spiritualius dici forma respectu alterius: sicut hîc se habent verba ad ablutionem.

CXLV.

Hoc secundo modo formam sumendo, alia est forma necessaria Ministro, alia necessaria necessitate Sacramenti. Minister Ecclesiæ Romanæ debet vti sub mortali peccato verbis vsurpatis ab Ecclesia Romana. Illa autem necessaria est forma necessitate Sacramenti, sine quâ validè Sacramentum non conficitur: & ad hanc requiritur necessariò inuocatio SS. Trinitatis expressa verbis, expressio actus, & personæ suscipientis Baptismum, vt tenet praxis Ecclesiæ.

CXLVI.

Si aliquid addatur repugnans verbis principalibus formæ, vel diminuens verba illa, nihil fit. Si varietur forma secundùm congruitatem terminationis, valet forma: idq; quando est talis incongruitas in fine dictionis, quæ non prohibet quin possit concipi, conceptus significatus per dictionem. Similiter transpositio verborum formæ, si variat sensum, inualidat Sacramentum. Sola

CXLVII.

Sola aqua naturalis pura, eſt materia conueniens baptiſmi. Naturalis; quia artificiales nullo modo ſunt aptæ pro materia huius Sacramenti. Pura autem debet eſſe aqua, oppoſita impuritati, quæ diſtinguat humiditatem ſpecie, vt humor mixtus, non eſt aqua pura: non vero quæ ſit imperfectè commixta per iuxta poſitionem, licet ea quandoꝗ ſit omnino indecens & illícita.

CXLVIII.

Inſtitutio baptiſmi ante promulgationem non obligabat, promulgato deinde baptiſmo, obligatio fuit, quæ ſemper manet ſub ratione & præcepti, & medij. Porrò ipſa promulgatio poteſt poni; aut per modum conſilij, (quæ fortè cœpit à principio, ex quo prædicabatur Euangelium, & durauit vſꝗ ad prædicationem ſolennem, quæ fuit in die Pentecoſtes) aut per modum præcepti ab illo tempore ad finem mundi.

CXLIX.

Poſt baptiſmum promulgatum per modum præcepti, quilibet qualitercunꝗ iuſtificatus, qui non impleuit illud præceptum, cum quo Deus non diſpenſauit ſpecialiter, tenetur ad baptiſmum affectu, & pro loco & tempore effectu, quando poterit: In quolibet autem baptiſmus ex ratione baptiſmi æqualem confert gratiam, tametſi aliunde poſſit maior vel minor infundi.

CL.

Paruuli poſſunt & debent baptizari, vt à peccato originali ſint liberi, & gratiâ diuinâ adornati. Idem iudicium eſto de paruulo expoſito, ſi inueniantur in eo certa ſigna quod non ſit baptizatus, vt ſal appoſitum, vel quid ſimile. Quòd ſi deſint ſigna & teſtimonia illum eſſe baptizatum, debet ſub conditione baptizari.

CLI.

Iudæorum & infidelium paruulos inuitis eorum parentibus baptizare non licet priuato homini: princeps tamen vel quicunꝗ in regimine Reip. conſtitutus, poſſet inuitis & repugnantibus infidelibus ac Iudæis eorum liberos curare baptizari; hoc ſuperaddito, vt ijs prouideat poſt baptiſmum de Chriſtiana educatione.

CLII.

De non conſentientibus adultis ad ſuſceptionem baptiſmi, illud tenendum eſt. quòd ſi adultus non vtitur nunc ratione, nec eſt vſus, ba-

ptizandus est sicut paruulus: aut si speratur illum aliquando vsurum ratione, tempus illud est expectandum. Quodsi non vtitur nunc ratione, sed aliquando vsus est, tunc supponitur nunc habitualiter consentiens vel dissentiens (prout se habuit in sanitate ante hoc impedimentum) si primum præfuit, baptizari debet; si fuit dissentiens, non debet.

CLIII.

Si verò adultus vtitur ratione, tunc vel dissentit contrariè, ponendo actualem dissensum, & sic non recipit baptismum; vel negatiuè, quando tantũ non habet actualem consensum, talis recipit Sacramentũ. Quod si quis actu consentiat, & baptismum recipiat, fictus tamen sit & indispositus propter actuale peccatum, de quo non atteritur, talis recipit characterem, at non gratiam baptismi.

CLIIII.

Character est signum indelebile ex collatione huius Sacramenti impressum in anima: quod signum, secundùm quorundam doctrinam, est causa ne iteretur Sacramentum hoc; verior tamen & certior huius rei causa est voluntas Christi, secundùm aliorum dogma.

CLV.

Quacunque malitia minister sit malus, si intendat fecere quod facit Ecclesia, & seruet modum Ecclesiæ, verè confert baptismum: At recipiens (præter ingruentem mortis necessitatem) à ministro præciso ab Ecclesia totaliter, vel ad tempus, peccat mortaliter.

CLVI.

Potest & debet aliquis ministrare Sacramentum baptismi, quando præsumitur erroneè, collationem baptismi vergere in periculum vitæ corporalis eius qui suscipit. Quodsi præsumptio sit certa ex signis certis de morte futura, cum ea non possit esse sine peccato mortali, non debet tunc conferri baptismus.

CLVII.

Ex officio inter viatores solus Sacerdos, est legitimus minister huius Sacramenti: Laici verò tantũ tempore necessitatis, seruato in eis ordine dignitatis, vt in præsentia viri non baptizet mulier &c. Et quãuis generaliter congruum sit ab homine viatore conferri hoc Sacramentum, & non ab Angelo; si tamen Angelus conferret, esset Baptismus validus.

CLVIII.

Si plures eundem simul baptizant, & vterque totum quod in baptismo exi

mo exigitur, efficit, verè baptizatur ille. Quodsi neuter baptizantium totum peragat, sed vnus abluat alter verba proferat, nihil ambo efficiunt. Prætereà si minister plures simul baptizet, vtens formâ pluralis numeri, verè baptizat.

CLIX.

Ad validam huius Sacramenti collationem requiritur in Ministro conferente intentio conferendi illud: quæ, si actualis sit, est optima; virtualis etiam est sufficiens, non habitualis. Porrò Minister huius Sacramenti ab eo cui confertur, debet esse distinctus personaliter.

CLX.

CONFIRMATIONIS Sacramentum, est vnctio hominis viatoris aliqualiter consentientis, vel libero arbitrio nunquam vsi, facta in fronte in figura crucis, cum chrismate sanctificato, idque à Ministro idoneo, simulque cum intentione debita, inungente, & verba certa proferente, significans ex institutione diuina vnctionem animæ per gratiam roborantem, ad confitendum cum constantia fidem Christi.

CLXI.

Sacramentum hoc vtilissimum est, tum ad aquirendum diuinæ gratiæ augmentum, tum ad fidem corroborandam: attamen simpliciter non est necessarium ad salutem, & inferius est baptismo ex naturâ sua, estque initerabile, vt & baptismus ex institutione diuina.

CLXII.

EVCHARISTIA est nouæ legis Sacramentum, corporis Christi & sanguinis veraciter contenti sub speciebus panis & vini; post consecrationem factam à Sacerdote sub verbis certis, cum debita intentione prolatis, ex institutione diuina veraciter signans corpus Christi D. & sanguinem sub eis realiter contineri.

CLXIII.

Vt consecratio in hoc Sacramento est, plures consecrationes partiales, tamen vna vnitate integritatis: sic est vna forma consecrationis vnitate integritatis, continens in se plures formas partiales distinctas, videlicet illam corporis, Hoc est corpus meum, & illam sanguinis. Hic est enim calix, & cæteris verbis in Canone Missæ positis, contentam.

CLXIIII.

Corpus Christi verum est in hoc Sacramento realiter ac propriè: quod, vt est primum signatum & contentum speciei panis, non inclu-

dit ani-

dit animam, nec accidentia, nec ſanguinem: omnia tamen hæc inſunt eidem neceſſariò, neceſsitate concomitantiæ ſeu concomitanter.

CLXV.

Tranſubſtantiatio eſt tranſitio totalis ſubſtantiæ in ſubſtantiam: quæ virtute creata non poteſt fieri, ſed ſola potentia diuina; quæ quamlibet rem poteſt conuertere in quamlibet; & quæ de facto in hoc Sacramento totam præexiſtentem ſubſtantiam panis conuertit in totam ſubſtantiam corporis Chriſti, & totam ſubſtantiam vini, in totam ſanguinis.

CLXVI.

Solus panis triticeus cum aqua elementari coagulatus, eſt materia conuerſionis in corpus Chriſti; & vinum expreſſum de vua vitis eſt materia conueniens in hoc Sacramento, tranſubſtantiationis in ſanguinem Chriſti: Ad quod requiritur appoſitio aquæ, ſed non neceſsitate abſoluta.

CLXVII.

Facta tranſubſtantiatione, in hoc Sacramento, præter naturæ ſolitum curſum & ordinem accidentia manent ſine ſubiecto: quæ ſic ſeparata non poſſunt inſtrumentaliter, nedum principaliter producere ſubſtantiam; imo nec coniuncta ſubſtantiæ: Poteſt tamen accidens vt eſt hîc, eſſe principium actionis, tàm intentionalis, quàm realis, reſpectu termini accidentalis,

CLXVIII.

Poſsibile eſt corpus Chriſti incipere eſſe ſine ſui mutatione locali in altari. &, Poſsibile eſt corpus Chriſti quantum eſſe ſine modo quantitatiuo: imò de facto ita eſt in venerabili hoc Sacramento; in quo, corpus exiſtens in cœlo, ponitur ſine mutatione locali in Euchariſtia: in cœlo eſt circumſcriptiuè & modo quantitatiuo; hic definitiuè & modo ſpirituali.

CLXIX.

Non modo idem corpus poteſt eſſe ſimul in diuerſis locis prædicto modo; ſed etiam vnum corpus poteſt eſſe localiter ſimul in diuerſis locis. Cui corpori, quæcunq; ſunt priora eſſentialiter ipſo vbi, vniformiter inſunt in diuerſo vbi; quæ verò poſterius vel ſimul naturâ, variabuntur.

CLXX.

Modus eſſendi Sacramentaliter non dependet à modo eſſendi naturaliter

turaliter: nec è conuerſo. Vnde ante Incarnationem Verbi potuit verè eſſe Euchariſtia, ſicut & modò: Et nunc, ſi per poſsibile vel per impoſsibile deſineret corpus Chriſti in cœlo eſſe ſub modo naturali, non deſineret propterea eſſe ſub modo ſacramentali in Euchariſtia.

CLXXI.

Chriſto D. vt hîc, concomitanter ineſt omnis operatio, quæ ſibi primò ineſt, vt in cœlo. Deinde, nulla ſenſatio poteſt Chriſto ineſſe primò, vt in Euchariſtia: licet operatio ſpiritualis intellectus & voluntatis poſsit Chriſto primò ineſſe, vt eſt in Sacramento.

CLXXII.

Chriſtus D. in Euchariſtia non poteſt vti aliqua potentia corporea, ſiue illa ſit merè corporea conſequens naturam mixti, ſiue conſequens totum animatum primò: non ſic de potentia actiua ſpirituali dicimus, cum qualibet vti poſsit in Euchariſtia.

CLXXIII.

Corpus Chriſti in Sacramento non poteſt mutari virtute creata: tam mutatione propriè dicta, quàm extenſiuè ſumpta, vt motu locali ad vbi ſiue præſentiam; niſi immediatè à Deo. Vnde à Sacerdote mouetur per accidens, ſumpto impropriè motu per accidens.

CLXXIIII.

Intellectus noſter pro ſtatu viæ non poteſt naturaliter videre corpus Chriſti, vt in Euchariſtia exiſtens. Quod ſi intellectus non ſit alligatus in cognoſcendo ſenſibus, qualis eſt Angelicus, animæ ſeparatæ, vel hominis beati, poterit naturaliter videre exiſtentiam corporis Chriſti in Sacramento.

CLXXV.

Deus de potentia abſoluta poſſet cauſare in oculo glorioſo vel non glorioſo viſionem iſtius corporis, licet iſtud corpus nuſquam eſſet niſi in Euchariſtia: Hæc viſio ſic cauſata, non poſſet eſſe corporis, vt hîc primò.

CLXXVI.

Non eſt indecens neq; inconueniens, fieri tranſmutationem corruptiuam illorum accidentium, ſub quibus realiter continetur corpus Chriſti D. Inter hæc accidentia, quantitas eſt quaſi ſubiectum aliorum, non per aliquem modum poſitiuum intrinſecum illi ſuperadditum in ſeparatione accidentium, ſed abſq; vllo nouo miraculo, ex natura talis accidentis vniuntur in illo alia accidentia.

CLXXVII.

Existens in peccato mortali, peccat mortaliter percipiendo hoc Sacramentum: Similiter si sumatur á non ieiuno. Potest tamen esse aliquis casus, quo licitè sumere posit non ieiunus, vt si quis est in graui infirmitate constitutus, in qua imminet periculum mortis, &c.

CLXXVIII.

POENITENTIA est secunda post naufragium tabula, & Sacramentum necessarium lapsis post baptismum ad remissionem peccati mortalis. Porrò est necessaria pœnitentia ad remissionem peccati non simpliciter, sed ex ordinatione diuina & de lege communi,

CLXXIX.

Nomen Pœnitentiæ multa æquiuocè significat. Primò, velle punire, quod est velle imperatiuum & efficax, coniungens causas proximas ipsius punitionis passiuæ: Deinde, nolle peccasse vel displicere: Præterea velle acceptare punitionem illam passiuam iam inflectam; Deniq; patienter ferre punitionem.

CLXXX.

Pœnitentia est virtus, & secundùm variam prædictam Pœnitentiæ acceptionem in vario virtutis genere potest poni: secundùm primam acceptionem est actus iustitiæ punitiuæ: in secunda acceptione, pœnitentia non est virtus specialis, sed eius virtutis est displicere de peccato, cuius est complacere in honestate peccato opposita, Similiter acceptatio punitionis ad aliam & aliam virtutem pertinet prout ex alio & alio motiuo procedit. Quartus actus est virtutis Patientiæ.

CLXXXI.

Contritio, confessio, & Satisfactio sunt necessariò requisita ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel vt præuia, vel vt sequentia: suntq; quasi materia illius. Verùmtamen essentia huius Sacramenti primò principaliter consistit in absolutione sacramentali facta certis verbis à Sacerdote.

CLXXXII.

Remissa culpa, infunditur gratia per hoc Sacramentum: quæ infusio gratiæ & remissio culpæ non sunt vna simpliciter mutatio; nec tamen duæ sunt mutationes reales, sed altera illarum est realis, altera (vt sic loqui liceat) quasi moralis, vel potius rationis.

CLXXXIII.

Quando remittitur semel peccatum, idem numero de potentiâ Dei

ordinatâ

ordinatâ nunquam redit: oppositâ ratione, bona reuiuiscunt in acceptatione diuina. Potest tamen dici, peccatum dimissum redire aliquomodo, tanquam circumstantiam aggrauantem hoc peccatum in quod recidiuat,

CLXXXIIII.

Confessionem peccatorum facere coram Sacerdote, non est præceptum legis naturæ, sed institutum præcepto diuino. Ad faciendam porrò confessionem, tenetur quicunq; baptizatus habens vsum rationis existit in peccato mortali.

CLXXXV.

Auctoritas principalis sententiam definitiuè ferendi, de apertione regni cœlestis homini, soli Deo conuenit: Auctoritas præcellens in vniuersalitate causæ vel in firmitate sententiæ definitiuæ, ad Christum spectat: ad Sacerdotem verò pertinet autoritas particularis, eaq; delegata, tum ad causas conscientiæ cognoscendas, tum ad sententiam ferendã.

CLXXXVI.

In confessione detectum peccatum, tenetur Sacerdos illud celare, omni lege obstrictus, lege naturæ, ipsius Dei positiua, atq; Ecclesiæ decreto: ac non tantum Sacerdos tenetur celare, sed etiam is cui Sacerdos impiè reuelaret: Similiter ille qui audit confessionem pœnitentis alius à confessore: teneturq; pro semper & ad semper.

CLXXXVII.

Satisfactio generaliter sumpta est redditio voluntaria æquiualentis alias indebiti: quæ si sit totalis & non diminuta, reconciliat satisfacientem ipsi quem offendit. Satisfactio autem strictius sumpta, est operatio exterior laboriosa voluntariè assumpta ad puniendum peccatum commissum à se, & hoc ad placandum diuinam offensam.

CLXXXVIII.

Omnis qui aliena abstulit sciens & consentiens quocunq; modo, vel detinet alienum, tenetur restituere: Et non solùm tenetur quis ad restituendam rem ablatam, vel vsum rei, sed etiam ad interesse, & fructum conceptum de re, si res erat fructifera; sed non fructum qui prouenit ex industria eius, qui vtitur illa re.

CLXXXIX.

Restitutio debet fieri illi, cui damnum est illatum, vel eius propinquis eo non præsente, si possibile est. Quodsi aut nesciatur cui restitutio sit facienda; aut mortuus sit & ignorantur eius propinqui; vel maiores sumptus

sumptus essent ponendi in mittendo, quàm illud valeat illi cui mittitur, tunc restitutio debet fieri pauperibus &c.

CXC.

Diffamatio si sit per impositionem falsi criminis, oportet restituere famam retractando verbum suum, & hoc ita publicè sicut sibi imposuit. Quodsi crimen sit verum tamen occultum, tunc propalans illud, non tenetur retractare verbum suum, sed tenetur alio modo licito restituere sibi famam. Si verò crimen sit verum sed occultum, in publico tamen sibi impositum, & hoc negetur, sicq; imponens arguatur de calumnia, non tenetur talis retractare negationem suam.

CXCI.

Peccato quantumuis graui, dimisso in hac vitâ, pœna debita ipsi, solui potest in præsenti vel post hanc vitam in Purgatorio. At si fuerit mortale hîc non dimissum, ei debetur pœna æterna: peccato autē veniali nec per se, nec per accidens debetur pœna æterna, sed temporalis.

CXCII.

EXTREMÆ VNCTIONIS Sacramentum, est vnctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à Sacerdote, simul verba certa cum intentione debitâ proferente, ex institutione diuinâ efficaciter significans curationem finalem venialium.

CXCIII.

ORDO est institutio alicuius in gradu Ecclesiæ præeminente, cui conuenit aliquod ministerium circa Eucharistiam exhibendum, facta à ministro idoneo, certa verba proferente; & simul cū intentione debita, ministerium gradus illius, aliquo signo visibili repræsentans; ex institutione diuina, efficaciter signans gratiam præeminentem, quâ, ordinatus dignè aliquod ministerium exequatur.

CXCIIII.

Septem sunt gradus Ordinum. Primus disponit ad consecrationem Eucharistiæ, & est Sacerdotium. Secundus disponit ad dispensationem Eucharistiæ, & est Diaconatus. Tertius disponit ad oblationem Eucharistiæ consecrandæ, & est Subdiaconatus. Alij autem quatuor gradus inferiores disponunt ad actus aliquos remotè se habentes ad Eucharistiam, vario tamen modo, vt gradus Accoliti, Lectoris, Exorcistæ, Ostiarij.

CXCV.

Sacra-

Sacramentum Ordinis dicitur vnum vnitate generis propinqui, sicut virtutes morales dicuntur esse quatuor secundum genus, tamen in speciali quæuis illarum subdiuiditur. Est & alia vnitas inter Ordinum gradus, quòd prius recipi debeat Ordo inferior quam superior; non tamen hìc Ordo videtur esse simpliciter necessarius, ita vt si prætermitti contingat, nihil fiat.

CXCVI.

MATRIMONIVM est illa obligatio mutua, quâ à viro & muliere indiuidua vitæ societas contrahitur ad prolem honestè procreandã & educandam, atque ad euitandam incontinentiam. Ab hac descriptione, Magistri etiam definitio parum differt, quæ ponit tria bona præstari in Matrimonio, Sacramentum, Fidem, & Prolem: quæ verè dicuntur.

CXCVII.

Contractus in matrimonio est ille actus voluntatum, quo donatur ad inuicem mutuo potestas corporum, exprimendo actum illis certis verbis vel signis. Sacramentum autem Matrimonij est signum efficax gratiæ, concomitans illum actum institutum ex ordinatione diuina, &c.

CXCVIII.

Consensus expressus verbis sufficientibus, non est aliud à contractu matrimonij. Hìc autem consensus vt validè fiat, debet exprimi per verba de præsenti, non de futuro: præterea debet esse liber, non coactus; sequens rationem, non erroneus.

CXCIX.

Omnis impotentia perpetua ad actum matrimonialem si præcedat matrimonium, simpliciter impedit contrahendum & dirimit contractum: ætas etiam est impedimento si sit puerilis: similiter dici debet de bigamia, quæ est omnino illicita. Præterea Ecclesia aliquas personas illegitimauit ad hoc Sacramentum suscipiendum, vt qui vel sunt cultu dispares, vel notati criminis enormitate, vel propinquitate & consanguinitate in certo gradu coniuncti, vel applicati ad cultum Dei, vt Sacerdos, Religiosus, &c.

DE VIRTVTIBVS.

CC.

Virtus est habitus animi rectus qui bonum facit habentem & eius opus in genere moris reddit bonum. Videtur certum, habitum moralem inquantùm virtus, non esse aliquo modo principium actiuum respe

ctu bonitatis in actu; nec virtutem moralem aliquid addere ſuper ſubſtantiam habitus, vt eſt de genere qualitatis, niſi conformitatem habitualem ad rationem rectam.

CCI.

Eſt quidem virtus habitus rectus, non tamen ab intrinſeco ineſt habitui illa rectitudo, vt ſecundùm illius inclinationem, non poſsit ad imperium voluntatis exire ad actum, virtutis actui oppoſitum. An verò habitus & vitij & virtutis habeat rationem principij actiui reſpectu actus, in controuerſia eſt.

CCII.

Omnes virtutum moralium ſpecies poſſunt ad illa quatuor virtutum genera reduci, Iuſtitiæ nimirum, Prudentiæ, Fortitudinis, & Temperantiæ. Iuſtitia, reddit vnicuiq; quod ſuum eſt. Prudentia eſt recta ratio agibilium. Fortitudo efficit vt arduis non terreamur, ſed conſtanter aggreſsi opera perficiamus. Temperantia modum præſcribit, ne moderationis legem excedamus, & vt iugo rationis cupiditatem reprimamus.

CCIII.

Prudentia eſt in intellectu vt in ſubiecto; reliquæ autem prædictæ virtutes ſunt in voluntate ſubiectiuè. Nec refert quod multæ harum virtutum functiones appetitu ſenſitiuo exerceantur, id namq; indicat virtutem moralem, materialiter eſſe in appetitu, formaliter autem in voluntate

CCIIII.

Hæc dicta ſunt de virtutibus aquiſitis. An autem virtutes morales infuſæ ponendæ ſint, incertum eſt: imò negatiua ſententia de eis videtur eſſe longè verior. Illud certò dici poteſt de infuſis Theologicis quòd quamuis aliqua ratione naturali non poſsit demonſtrari eas eſſe ſupernaturales & infuſas; fide tamen indubitanter creditum eſt, eaq; ſuppoſitâ poteſt probari à poſteriori.

CCV.

FIDES infuſa, eſt habitus ſupernaturalis, qui inclinat hominem ad aſſentiendum alicui reuelato, propterea quòd credat veracitati Dei aſſerentis. Et quia quod Deus aſſerit, ſupernaturaliter reuelat, ideò fides aſſentiens tali reuelato, non habet certitudinem ex obiecto, ſed ex veracitate teſtis,

CCVI.

Vna eſt fides omnium credibilium, prout fides non reſpicit credibilia

bilia ſub proprijs rationibus eorum, ſed vt reuelata ſunt à Deo, & credit omnia reuelata ab ipſo vera eſſe, eodem habitu, quo credit reuelantem eſſe veracem.

CCVII.

Aliqua notitia poteſt ſimul haberi cum fide, veluti habitus quem poteſt homo habere ex ſenſu literæ Scripturæ, vel qualem habent exponentes Scripturam, explicando concluſiones, & ſoluendo opiniones quæ videntur contrariæ. At ſcientia propriè dicta, cum fide ſtare non poteſt. Simpliciter tamen non eſt vlla in hoc repugnantia reſpectu omnipotentiæ diuinæ.

CCVIII.

In intellectu fides infuſa fuit homini ſaluando neceſſaria pro omni ſtatu, ſicut charitas in voluntate: non quòd ſit contradictio ſeparari vnum ab alio, ſed quia de lege ordinaria Deus non perficit animam, niſi perficiat eam ſecundùm totum.

CCIX.

Actus fidei habenti vſum rationis ſemper fuit neceſſarius eoq; modo obligabat, vt præceptum affirmatiuum. Vnde & nunc maiores debent habere actum explicitum de credibilibus omnibus; rudioribus de multis articulis ſuffiicit implicitus actus.

CCX.

Vt habitus fidei eliciat actum vnà cum intellectu, non eſt neceſſe ponere aliquem habitum infuſum in voluntate coagentem fidei: Voluntas enim mouet intellectum ad aquirendam fidem aquiſitam; poſita verò fide aquiſita, credibili præſente, poteſt intellectus per habitum infuſum credere, dommodo voluntas non contramoueat; nec plus requiritur.

CCXI.

SPES eſt habitus infuſus diſtinctus à fide & charitate, quo æternæ vitæ præmia ſperantur & deſiderantur. Et quamuis ſiſtendo in ſola ratione, ſecluſa autoritate poſſet negari, talis habitus; à nobis tamen veritate fidei illuminatis admitti debet, iuxta illud Apoſtoli. Nunc autem manent, Fides, ſpes, Charitas, tria hæc &c.

CCXII.

CHARITAS eſt habitus infuſus, cuius actus eſt diligere Deum ſuper omnia. Obiectum huius habitus poteſt poni, vel Deus in ſe ſecundúm rationem ſuam abſolutam; vel Deus inquantùm bonum conueniens amanti; vel inquantùm includit vtrumq;, prout ſcilicet eſt bo-

num

num quoddam infinitum in se, cuius amans est quædam participatio.

CCXIII.

Eodem habitu diligendus est proximus quo diligitur Deus, quod non ex natura habitus prouenit propter aliquam oppositionem contrariam aut contradictoriam, quasi sit impossibile stare odium proximi cũ dilectione Dei; sed propter prçceptum de diligendo proximo, ad quem actum oportet vti illo habitu, aut saltem non contraagere illi habitui.

CCXIIII.

Quilibet tenetur se maxime diligere post Deum: deinde proximum, etiam inimicum: qui si sumatur per se inquantùm inimicus (℞ vt sic sit vitiosus) non est diligendus; vel per accidens inquantum homo, & tunc tenemur diligere in quibusdã positiuè, in quibusdam priuatiuè.

CCXV.

Fides & Spes non manebũt in patria; quibus non est necesse simplr̃ vt succedant alij habitus propriè dicti. Charitas autem manebit longè excellentior & perfectior secundùm intensionem, quæ non fit per corruptionem prioris gradus Charitatis ad inductionem noui gradus, sed per additionem realitatis ad realitatem.

CCXVI.

Virtutes morales nec secundùm genera sua, nec secundùm virtutes disponentes affectum ad seipsum, sunt necessariò connexæ: similiter habitus prudentiæ potest aquiri absq; habitu virtutis moralis, non tamen habitus moralis potest aquiri absq; prudentia.

CCXVII.

Virtutes morales non requirunt necessariò Theologicas, ad hoc vt sint perfectæ in specie sua; nec è conuerso. Inter se etiam virtutes Theologicæ non sunt connexæ tam in statu viæ quàm patriæ.

CCXVIII.

Ponere inter virtutes æqualitatem, est Stoicorum dogma vanum, idq; siue sermo sit de æqualitate virtutum moralium in perfectione essentiali; aut de Theologicis, quæ sunt præstantiores moralibus omnium iudicio; siue de accidentali, quæ consistit in intensione graduum: alia æqualitas frustra fingitur.

CCXIX.

De illis virtutibus, quæ, Dona, Beatitudines, & Fructus, dicuntur illud sine assertione cum Doctore subtili dicimus, quod non sint necessarij in